

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1251

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

inter mercatores, item alii quatuor agri in eodem confinio siti sunt apud quatuor agros Ymaginis in uno latere et ab alio latere juxta agros relicte Wirici, ad preces et instantiam venerabilis domini nostri episcopi et capituli majoris ecclesie permu-
 5 tavimus eisdem, quia predictam permutationem vidimus nobis et dicto venerabili domino nostro H[einrico] episcopo¹ et capitulo expedire. ut eadem permutatio rata
 permaneat et inconvulsa apud posteros, presentem cedula[m] memorato venerabili
 domino nostro H[einrico] episcopo et capitulo nostris sigillis contulimus robo-
 ratam. actum anno domini 1251, 4 idus januarii, presentibus hiis: B[ertholdo]
 10 decano, Cunrado archidiacono de Wolvahe², Heinrico de Ohsenstein, C[unrado] scolastico dicto de Wasserstelce, Eberhardo de Sulze, Reinhardo de Tenge, Cunrado,
 Eberhardo et Otthoni fratribus de Entringen, Alberto et Cunrado fratribus de Talmessingen et aliis quam pluribus.

B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2704 or. mb. c. 3 sig. pend. laesis.

Gedruckt nach der mutatis mutandis gleichlautenden Ausfertigung des Domcapitels i. Straßb. Thom. A. Titres lad. 11 or. mb. c. 5 sig. pend. bei Ch. Schmidt Hist. du chap. de s. Thom. p. 316 nr. 39.

345. *Vergleich zwischen der Dorfgemeinde Berstett und dem Straßburger Hospital, die Steuerpflicht seiner dort gelegenen Güter betreffend. 1251 Februar.*

: In nomine sancte et individue trinitatis amen. : hoc, quod geritur
 20 in tempore dignum memoria, ne labatur cum tempore, litterarum apicibus expedit commendari. noverint igitur universi, quibus nosse fuerit oportunum, hoc scriptum intuentes, quod, orta questione inter communitatem hominum in villa Berstete ex una parte et Hugonem et Anselmum ceterosque confratres et homines hospitalis in Argentina nomine ipsius hospitalis ex altera super eo videlicet, quod homines jam
 25 dicte ville communiter exigebant, quod de bonis ipsius hospitalis in ipsa villa aut et in banno ejusdem ville sitis sive constitutis sicut de bonis aliorum hominum ipsius ville collecta sive talia aut etiam angaria et alia quecumque servitia persolverentur, e converso predicti fratres hospitalis asserebant, quod ad predicta nullatenus teneantur, cum bona prefati hospitalis ad usus pauperum Christi solummodo sint
 30 deputata neque secularium debeant subesse servituti, presertim cum a tempore, a quo nulla hominum exstat memoria, semper hactenus a supradictis servitiis ipsum hospitale liberum exstiterit et immune, tandem autem partes ipse supradicte amicablem ad invicem concordare cupientes, de communi consensu et voluntate plenaria tam universorum hominum supradicte ville quam etiam fratrum et procuratorum
 35 hospitalis memorati, compositionem amicabilem super predictis inter se propter

¹ *Bischof Heinrich erklärt im gleichen Jahre, März 4 (4 nonas marcii), die Besitzungen der St. Thomaskirche zu Düppigheim für steuerfrei. Straßb. Thom. A. docum. hist. lad. 1 (privilèges) or. mb. c. sig. pend. delapso.*

² *Conradus de Wolfahe Argentinensis archidiaconus vertauscht in demselben Jahre, März 18 (crastino Gerdradis virginis) Güter zu Beinheim mit Besitzungen Heinrichs von Fleckenstein zu Truchtersheim und Atzenheim. Straßb. Bez.-A. G fasc. 2713 or. mb. c. sig. pend.*

bonum pacis et concordie bona fide statuerunt talem videlicet : ut ipsum hospitale hac vice solum non de aliquo jure sed propter dilectionem et honorem et instantem necessitatem ipsius ville duas libras denariorum Argentinensium persolvat sub hac forma, ut deinceps de bonis ipsis, que hospitale sepe fatum in ipsa villa Berstete atque in banno ejus inpresentiarum possidet, servitia supradicta vel etiam similia ab hominibus ipsius ville vel ab advocatis aut etiam a quovis alio nullatenus exigantur neque ab ipsis hospitalariis persolvantur. fuit autem hec amicabile compositio promissa et firmata in presentia et per corporalem fidem interpositam subscriptorum : videlicet nobilis domini Ebirhardi de Etendorf ipsius ville advocati, Cûnradi militis de Geboltheim, Dieterici qui dicitur Naso, Hugonis de Onolvesheim, Ludewici provocatoris, Folcmari, Dieterici, B. . . Daciani, Heinrici sutoris, Marquardi et Rûdolfi filiastris ejusdem, Cûnradi filii Alberonis, Heinrici dicti Snelman, Ottonis qui dicitur Satelnagil, Ebelini Diaboli, Burcardi, Ottonis Hohenloc, Friderici, Ebelini Lupi, Sigelini Bauwari, Erinfridi et Hiltiwini filii ejus atque Ūlrici, qui dicitur Deckere, et aliorum quam plurium. ut autem jam dicta majus robur habeant, presens scriptum sigillo supradicti nobilis domini Ebirhardi de Etendorf extitit ad petitionem partium sollempniter roboratum. acta sunt autem hec anno ab incarnatione domini 1251, mense februario.

H aus Straßb. Hosp. A. docum. inut. lad. 2 fasc. 74 or. mb. c. sig. pend.

346. *Straßburger Synodalstatuten über Bestrafung von Frevel und Gewaltthat gegen die Kirche und ihre Angehörigen. 1251 nach März 26.*

Licet ad reprimendam sacrilegam invasorum ecclesiasticarum personarum et rerum audaciam non solum divina sed et humana jura emanarint et statuta, tamen quia plurium nostre civitatis et diocesis, qui modo diabolico semper de malo moventur impejus, in tantum excrescit et excrevit perversitas, ut rabie insana penas jurium contempnentes, dei timore postposito et abjecta religionis reverentia, ecclesiastica privilegia conculcantes, ecclesias, personas et res ecclesiasticas presumptione dampnabili non solum verbis immo et factis turpibus ac injuriosis afficiunt enormiter nimium et molestant, propter quod nos, qui ex officii nostri debito subjectorum remediis debemus intendere et saluti, tante presumptionis nefariam perversitatem ecclesiastice animadversionis mucrone ferire volentes, ut saltem meta presumptionis hujusmodi existat metus pene, propter multorum incrassationem et maleficii detestationem penas ante statutas contra hujusmodi sacrilegos aliquantulum duximus exaggerandas. de consilio igitur nostri capituli ac prelatorum nostre civitatis et diocesis sancteque synodi approbatione statuimus : [1] ut, si quis laicus nostre civitatis vel diocesis de cetero clericum sive personam religiosam perversitate dampnabili occidere vel membro mutilare presumpserit, perpetua notetur infamia, officia et beneficia ac feoda, que tenebat mediate vel immediate ab ecclesiis vel personis ecclesiasticis nostre diocesis et civitatis, amittat ipso facto nec ex iis quicquam transeat ad heredes ejusdem. fiatque hoc ipso cum sua posteritate usque in quartam generationem inhabilis ad recipiendum de cetero aliquod feodum, beneficium seu

officium ab ecclesiis sive personis ecclesiasticis vel religiosis. nec usque in eundem gradum quisquam de sua posteritate in clericorum collegium aliquatinus admittatur. feoda et officia et beneficia, que hujusmodi malefactor ab ecclesiis tenebat, aliis infra spacium quatuordecim dierum per eos, ad quos ipsorum spectat ordinatio, conferantur. alioquin eis^a extunc, si comode potuerimus, eadem conferemus, salvo tamen jure domini principalis, qui non fuit in culpa. prelatus autem vel alia persona ecclesiastica seu ecclesie vassallus, que hujusmodi malefactorem vel ejus posteritatem prehabitam infeodare vel officium aut beneficium conferre presumpserit, eidem sententie subiaceat excommunicationis, quousque, quod fecit, revocet cum effectu. [2] et cum secundum sanctiones legitimas ad instar publici criminis et lese majestatis puniri debeant hujusmodi sacrilegi, statuimus, ut, si judex secularis bona seu possessiones sub ipsius districtu positas statim, cum tanti facinoris admissio ad eum pervenerit, non confiscaverit, non expectata super hoc accusatione seu querela, post triduum a tempore noticie sententie subiaceat excommunicationis omnesque sue jurisdictioni obtemperantes, nisi infra octo dies resipuerit, excommunicentur. [3] defensores et receptores talium sacrilegorum anathemati decrevimus subjacere totamque terram per districtum dictorum malefactorum sive recipientium et defendentium eundem ecclesiastico subponimus interdicto; loca autem et civitates, ubi idem fuerint, quam diu moram ibidem fecerint, suspendimus a divinis. [4] cultores et inquilinos suarum possessionum, nisi jus in re habuerint, ut emphitheote, si non infra octo dies, cum admissio hujusmodi sceleris ad eos pervenerit, ex denunciatione publica vel evidentia facti, vel qui negociationem cum eisdem malefactoribus ac defensoribus et receptoribus eorundem exercere presumpserint, ecclesiastico interdicto volumus subjacere. [5] nec liceat hujusmodi malefactoribus, suas res vel possessiones alienare et, si quis contrafacere presumpserit, tam is, qui sciens eas sic receperit, quam qui nomine sic recipientis coluerit vel inhabitaverit, ecclesiastico subpositus sit interdicto, nisi resipiscat infra octo dies. [6] si vero communitas aliqua furore dyabolica suum prelatum, rectorem seu vicarium occidere vel membro mutilare presumpserit, jure parrochie, quo se fecerunt indignos tanti sceleris admissione, de cetero careant et ad alium locum competentem, si fieri comode poterit, transferatur sine^b inculpabilium prejudicio patronorum. [7] statuimus insuper, ut filii malefactorum jam clerici facti de cetero ad dignitates, beneficia etiam et officia nullatenus admittantur. [8] licet etiam hujusmodi sceleratis viaticum sive penitentie remedium in extremis non negetur, ecclesiastica tamen careant sepultura, nisi duo proximiores linea malefactoris inveniantur, qui prestita satisfactione ydonea coram prelati ejus, qui lesus extitit, quod a tempore mortis ejusdem malefactoris infra sex menses iter arripiant transfretandi ibique in subsidium terre sancte per triennium maneant in tocus clericalis ordinis satisfactionem. [9] si vero quisquam clericus vel laicus prelatum seu alium clericum cujusquam ecclesie vel monasterii aut personam religiosam ausu dyabolico captivare presumpserit, dignitates, officia, beneficia, que ab ecclesia eadem habere dinoscitur, tamquam ingratus amittat ipso facto nec ad suos filios

a) B eos. b) B sine.

aut nepotes aliquid transeat ex predictis. [10] loca etiam sive civitas, ubi moram fecerit dictus captivans, ac sui defensores aut receptores et qui hujusmodi captivum servaverint, cum terra et familia eorundem ecclesiastico subjaceant interdicto. [11] cultores et inquilinos possessionum proximo scriptarum personarum, nisi infra dies octo, cum ad eos hujusmodi maleficii perpetratio devenerit, ab habitatione et cultura destiterint, si sine periculo et magno suo incommodo poterant, extunc volumus esse interdictos. [12] nec sententias hujusmodi relaxari volumus, antequam captivato plene restituto non solum eidem de injuria sed et aliis, quibus per suam captivationem dampnum et injuria illata esse dinoscitur, plenarie fuerit satisfactum. [13] si quis vero, ut suprascriptum est, quemquam ecclesiasticarum personarum leserit et tamquam nichil possidens ad aliquod opidum, villam vel castrum confugerit, dominus castri, opidi vel ville judex, advocatus seu rectores ipsorum locorum atque civitatum nobis seu episcopo, qui pro tempore fuerit, infra octo dies a tempore, quo eisdem per quemcumque judicem seu prelatum aut publicam in ecclesia majori conmonitionem illud innotuerit, representent, si penas effugere voluerint jam statutas. [14] eorundem etiam sacrilegorum, quam diu personas hujusmodi sic captivatas detinuerint, filios, fratres ac nepotes ad ordines, beneficia, officia, dignitates ecclesiasticas promoveri prohibemus sub pena excommunicationis, quam presentibus in ipsos promulgamus. immo jam promotos tam diu suspendimus a suorum beneficiorum perceptione, quam diu persone hujusmodi ab eorundem parentibus et consanguineis detinebuntur captivi, nisi per fraudem in dispendium hujusmodi consanguineorum hoc factum esse constiterit maliciose. [15] ut etiam plurium opido infestorum ordini clericali comprimatur audacia, statuimus, ut, si quis de cetero nostre civitatis seu diocesis in quemquam clericum habentem sacrum ordinem manus injecerit violentas et temerarias, non solum denunciatur excommunicatus; verum etiam in hujusmodi facinoris detestationem familiam ejusdem exclusam esse volumus a divinis et, nisi infra dies quatuordecim de hujusmodi injuria satisfecerit, extunc parochiam, in qua domicilium habere dinoscitur, presentibus ponimus sub interdicto et, si postea infra mensem non resipuerit, civitates et opida ac omnia loca, ad que pervenerit et quam diu fuerit in eisdem, ecclesiastico subponimus interdicto prohibentes extunc, ne quis terram suam colat neve quis communicare presumat eidem. et qui postea ei communicare presumpserit, secundum juris formam excommunicetur. [16] et si in minoribus ordinibus constitutum vel alias personas ecclesiasticas manuum injectione enormiter seu atrociter ledere presumpserit, forma servetur priori casu prenotata. [17] si vero hujusmodi personis proxime scriptis levi injectione manuum levis illata fuerit injuria, preterquam in casibus a jure concessis, si denunciati infra mensem non satisfecerint, extunc eorundem familia excludatur a divinis et ulterius, si sua exegerit duricia, nichilominus procedatur nec hujusmodi relaxentur sententie, antequam de hujusmodi injuriis eis, quorum interest, et dampnificatis per ipsius malefactoris pertinaciam fuerit satisfactum. [18] si quis vero emunitatem ecclesie, cimiterii vel curiarum, quibus ex consuetudine vel jure debetur emunitas, violaverit vel officium divinum impedire presumpserit aut in ecclesiasticarum personarum

familiam manus injecerit injuriosas, nisi conmonitus per conmonitionem publicam in ecclesia cathedrali, si a superiori moneri conmode non valeat, infra dies quatuordecim satisfecerit, extunc excommunicetur. in qua excommunicatione, si per mensem temere perseveraverit, ne sua malicia remaneat inpunita, in ipsius odium suam
 5 familiam suspendimus a divinis usque ad satisfactionem condignam. [19] eum autem, qui ecclesias seu personas ecclesiasticas suis rebus spoliare presumpserit, nisi conmonitus, si moneri conmode valuerit, infra octo dies de ablatiis et injuria satisfecerit secundum juris statuta, excommunicamus et locus, ubi preda vel predo fuerit, sive fautores ac totus districtus predonis et predonem sive predam servantis
 10 ecclesiastico subjaceat interdicto. si conmode conmoneri non possit, sufficere volumus monitionem in ecclesia Argentinensi divulgatam. [20] si vero clericus personam quamvis ecclesiasticam interfecerit vel mutilaverit vel hoc fieri procuraverit, statim ipso facto ab officio suspensus omnibus beneficiis ecclesiasticis sit privatus, nichilominus pena graviore secundum statuta canonum puniendus. [21] et si occasione
 15 questionis alicujus, quam habet clericus vel laicus, personam ecclesiasticam captivari, vulnerari vel alias ledi in persona procuraverit, non solis penis proximo scriptis subjaceat, verum etiam ipso facto causam amittat et contra eum procedatur ut convictum et persona hujusmodi ecclesiastica usque ad satisfactionem condignam ab officio et beneficio sit suspensus. [22] si vero hujusmodi occasione suum adversarium vel personas sibi necessarias vel ejus consanguineos aut familiam suis rebus
 20 spoliari presumpserit vel procuraverit, ante restitutionem et satisfactionem condignam in causa nullatenus audiatur et nichilominus clericus hec faciens preter alias penas etiam a beneficio suspensus maneat, quousque satisfecerit competenter. [23] et quia hujusmodi malefactorum, que ab aliis procurantur, non levis est probatio, volumus, ut, ubi consanguinei vel amici talia procurantis nullam aliam causam
 25 cum leso habeant, presumptio talis loco probationis habeatur, adicientes, quod, ubi quis negaverit se manus injecisse violentas in clericum, juramentum lesi cum uno teste ydoneo loco probationis habeatur. [24] si vero de cetero parentes seu consanguinei aut familiares cujusquam occasione questionis vel cause, quam habuerit,
 30 suum adversarium vel ejus advocatum ac alias personas in hujusmodi causa necessarias captivare presumpserint^a vel alias ledere in persona, ut per hoc pars questioni cedere cogatur vel etiam negocium plus debito prorogetur, ut tante malicie, que in partibus nostris jam nimium inolevit, refrenetur perversitas discantque cuncti dolosas ipsorum violentias suis amicis nullatenus profuturas,
 35 communicato consilio duximus statuendum, ut, si persona, quæ sic captivata fuerit vel lesa, ordinem habuerit sacrum, ille, cujus gratia vel favore hoc factum esse dinoscitur, si actor fuerit, causam amittat, si reus fuerit, reputetur convictus, nulla requisita super hoc sententia vel exspectata. si autem personam in minoribus vel etiam laicum cause necessarium vel adversarii consanguineum sive servientem ex
 40 hac causa captivare vel personam ledere presumpserit aut ipsum adversarium vel personas hujusmodi suis rebus spoliare presumpserit, nisi infra octo dies restitutis integraliter ablatiis hiis, cujus favore hoc admissum esse dinoscitur, de injuriis satis-

a) B presumpserit.

fecerit seu satisfieri procuraverit, per iudicis sententiam causam amittat et reus
 judicetur convictus, ipsis malefactoribus penis debitis nichilominus puniendis. consan-
 guineorum enim scelus et cupiditas suis ignorantibus nepotibus, consanguineis inpedi-
 mentum promotionis affert plerumque ac alias etiam est dampnosa. [25] huic
 etiam statuto salubriter adicimus, ut, si serviens vel alius de familia clerici vel 5
 laici in quemquam clericum manus violentas injecerit et dominus ipsius post
 denunciationem sibi factam eundem servare presumpserit, eo ipso dominus ipse
 excommunicationi subjaceat et per nos excommunicatus publice denunciatur, contra
 eundem malefactorem statutis penis secundum delicti qualitatem nichilominus
 observandis. [26] et quia, quod quisque juris in alium statuit, ipse eodem uti 10
 debet secundum utriusque juris statuta, hinc est quod nos provida deliberatione
 habita statuimus presentibus, ut, si quis clericus laicum quemquam interficere
 presumpserit, idem omnibus suis beneficiis eo ipso sit privatus et a nobis seu
 nostris successoribus degradatus in arto monasterio ad agendam perpetuam peni-
 tentiam detrudatur. si vero non ad mortem sed alias aliquem mutilaverit vel 15
 graviter vulneraverit, ab officio suspensus et beneficio in monasterio detrudatur,
 quousque, delicti inspecta enormitate et qualitate persone, juxta nostrum nostro-
 rumque prelatorum consilium leso satisfiat competenter, nisi idem clericus in
 defensionem suam id dinoscatur commisisse. [27] si quis vero canonicus vel
 prebendarius suo prelato vel concanonicis verba contumeliosa inferre presumpserit, 20
 a perceptione prebende seu beneficii, quod habet in eadem ecclesia, usque ad
 satisfactionem condignam suspensus sit ipso facto et per episcopum fructus ipsius
 beneficii tam diu in usus pauperum erogentur, nisi per decanum vel superiorem
 alium ad ipsius lesi questionem hujusmodi injuria fuerit emendata. et nichilominus
 in eadem ecclesia nec in aliis nostre civitatis vel diocesis, si in pluribus habuerit 25
 canonicatum, nec eligi nec eligere valeat ad beneficium, officium seu dignitatem
 ejusdem ecclesie ad annum. [28] si autem prelatus in suum subditum hoc
 commisit, jurisdictione et jure dignitatis ac fructuum, quos habet in eadem ecclesia,
 careat per annum a tempore commissi delicti. [29] statuimus insuper, ut nullus
 archidiaconorum nostre civitatis et diocesis sibi presentatum, ubi notorium fuerit 30
 vel alias sibi constiterit per denunciationem ejus, cujus interest, juramento ab
 eodem prestito, quod ad hoc maliciose non procedat, beneficium subjacere questioni,
 investiat infra spacium octo dierum. quo termino transacto si questio mota non
 fuerit ab eo, cujus interest, idem archidiaconus circa hujusmodi jure suam exercent
 jurisdictionem nec nos medio tempore interpellati in ipsius archidiaconi prejudicium 35
 contra ecclesie Argentinensis consuetudinem quemquam investiemus. et si per quem-
 quam archidiaconorum contra statutum hujusmodi quicumque fuerit attemptatum, id
 decrevimus non valere nec ex facto ejusdem actio seu exceptio oriatur. [30] hos
 autem omnes malefactores et sacrilegos denunciari singulis diebus dominicis et
 festivis ab omnibus plebanis et vicariis nostre diocesis et civitatis denunciari 40
 precipimus publice sub pena suspensionis et, nisi eorundem sacrilegorum heredes
 infra mensem a morte ipsorum malefactorum eatenus qua successerunt satisfecerint,
 penis statutis contra ipsos maleficos subjaceant et sententiis astringantur. preterea

nos etiam Henricus episcopus hec statuta servabimus nullumque in nostra civitate et diocesi prelatum confirmabimus nec prelaturam alicui conferemus seu aliud beneficium, nisi qui juraverit, hujusmodi statuta se observaturum fideliter et bona fide. nos vero Bertholdus decanus totumque capitulum Argentinense juravimus, nos
 5 observaturos hec statuta bona fide, nullumque nobis eligemus vel recipiemus aut admitteremus in episcopum aut alium prelatum seu concanonicum aut prebendarium clericum sive laicum ecclesie nostre, nisi ante juraverit, hujusmodi statuta se fideliter observaturum. nos etiam Fridericus prepositus et archidiaconus Argentinensis, B[ertholdus] custos et archidiaconus, Henricus de Ossenstein, Cūnradus de Wolvahe,
 10 Eberhardus de Sulze, Johannes de Frankenstein archidiaconus Argentinensis ecclesie juramento interposito promittimus, quod nullum nobis presentatum recipiemus vel investiemus, nisi prius juraverit, se statuta servaturum antedicta. insuper nos sancti Thome et sancti Petri Argentinensis, item Haselacensis, Honaugensis et Surburgensis ecclesiarum Argentinensis diocesis capitula juravimus, statuta antedicta nos
 15 bona fide et fideliter observaturos, nullumque eligemus nobis in prelatum seu concanonicum aut prebendarium clericum sive laicum ecclesie nostre, nisi ante juraverit, se statuta observaturum fideliter supradicta. quicumque autem clericorum jam promoti ad ordinem seu beneficia ad hujusmodi statutorum observationem se obligare et ea observare noluerit, a nostro exclusus consortio favore et beneficio
 20 constitutionis hujusmodi, quo se reddit indignum, perpetuo carebit et excommunicationis sententie, quam nunc in eum promulgamus, nisi infra mensem post publicationem se statuta premissa servaturum juraverit, subjacebit. ut autem hec omnia plenius et perpetuum robur firmitatis obtineant, sunt eadem statuta nostri et capitulorum nostrorum predictorum sigillorum munimine consignata. fuerunt
 25 autem hec statuta anno ab incarnatione domini 1251, post Letare Jerusalem, in publica sinodo sollempniter publicata.

B aus Straßb. Bez.-A. G nr. 57 or. mb. c. 7 sig. pend. Das Stück ist in zwei großen Columnen geschrieben, die linksstehende trägt von gleicher Hand aber in kleineren Buchstaben die Ueberschrift: nova statuta domini nostri Henrici Argentinensis episcopi et capituli et totius cleri sui et omnium prelatorum Argentinensium.

Gedruckt ebendarnach i. d. Zeitschr. f. Gesch. d. Oberrh. III, 142 ff.

347. *Pabst Innocenz IV trägt dem Erzbischof und dem Clerus der Erzdiocese Mainz auf, das Frauenkloster St. Marz zu Straßburg gegen Beraubung und Unterdrückung in Schutz zu nehmen. 1251 März 28 Lyon.*

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Maguntinensi et ejus suffraganeis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatibus per Maguntinensem provinciam constitutis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. non absque dolore cordis et plurima turbatione
 35 didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et
 40 canonicè sententie severitas enervatur, ut viri religiosi et hii maxime, qui per sedis

apostolice privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. specialiter autem dilecte in Christo filie . . . priorissa et sorores monasterii sancti Marci ordinis sancti Augustini Argentinensis diocesis tam de frequentibus injuriis 5 quam de ipso cotidiano defectu justitie conquerentes universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores earum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, et pressuris vestro possint presidio respirare. ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones 10 vel res seu domos predictarum sororum irreverenter invaserint aut ea injuste detinuerint, que prefatis sororibus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsas sorores vel ipsarum aliquam contra apostolice sedis indulta excommunicationis aut interdicti sententiam presumpserint promulgare vel decimas laborum de terris habitis ante concilium generale, quas propriis sumptibus excolunt, seu nutrimentis 15 animalium suorum, spretis apostolice sedis privilegiis, extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis singuli vestrum in diocesibus et ecclesiis vestris excommunicationis sententia percussis, si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis neutram relaxaturi sententiam, donec predictis sororibus plenarie satisfaciant et tam 20 laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum injectione in sorores easdem vel ipsarum aliquam anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. datum Lugduni 5 kalendas aprilis, pontificatus nostri anno octavo¹.

*H aus Straßb. Hosp. A. lad. 89 fasc. 10 or. mb. c. bulla pend. mit der Dorsualnotiz fa 25
solla, wie es scheint, von andrer Hand.*

348. *Bischof Heinrich von Straßburg beurkundet, daß der Straßburger Schult-
heiß Walther für Gärten bei St. Aurelien, die er von ihm zu Lehen getragen und
an den Straßburger Bürger Reibold Stubenweg als Eigengut verkauft habe, Güter
von gleichem Werth am Rheinhafen und der neuen Brücke ihm als Lehen aufge- 30
tragen habe. 1251 März.*

Heinricus dei gratia Argentinensis episcopus. sciant cuncti presentis littere inspectores, quod, cum pro necessitate sua Waltherus scultetus Argentinensis ortos quosdam sitos circa medium ortorum apud sanctam Aureliam, novem scilicet curias et dimidiam, quas a nobis in feodo habuit, Reimboldo civi Argentinensi dicto Stü- 35 benweg, qui eosdem ortos prius sub nomine cujusdam census possederat, de con-

¹ *Unter dem gleichen Datum erläßt Innocenz IV auch für das Straßburger St. Katherinenkloster dasselbe Schutzprivileg, i. Straßb. Hosp. A. lad. 125 fasc. 9 or. mb. c. bulla pend. Am 1. April des-
selben Jahrs that er es auch für das Straßburger St. Johanneskloster, i. Straßb. Hosp. A. lad. 90
fasc. 14 or. mb. c. bulla pend. Beide Bullen mit demselben Dorsualvermerk wie nr. 347.*

sensu fratrum suorum pro allodio proprio vendidisset, idem *Waltherus* scultetus et fratres sui quendam alium ortum attingentem portum Reni versus undas et reditus viginti solidorum, quos ex horreo laterum ultra Bruscam juxta novum pontem¹ sito singulis annis percipiunt, proprietatis tytulo primitus possidebant, in recom-
 5 pensationem prioris feodi in nostris manibus libere resignantes eadem bona predictis equivalentia eo jure, quo prius sive anterieus feodum tenebant, a nobis receperunt in feodum, consensu et voluntate nostri capituli Argentinensis super premissis plenius accedente. in hujus rei memoriam sigillum nostrum, capituli nostri, sculteti predicti ac civitatis Argentinensis presentibus est appensum. actum anno domini
 10 1251, mense martii.

B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 3117 or. mb. c. 3 sig. pend. laesis. Abgefallen das Siegel des Schultheißen Wälther.

349. Pabst Innocenz IV befiehlt allen Kirchenobern an, die Zehntenfreiheit des St. Marzklosters zu Straßburg zu schützen. 1251 April 4 Lyon.

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatiis, ad quos littere iste pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem. cum abbates Cisterciensis ordinis tempore generalis concilii congregati, ut occasione privilegiorum suorum ecclesie ulterius minime
 15 gravarentur, ad commonitionem felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri statuerint, ut de cetero fratres ipsius ordinis nisi pro monasteriis de novo fundandis non emant possessiones, de quibus decime debentur ecclesiis, et si pro monasteriis de novo fundandis tales possessiones pia fidelium devotione collate eis fuerint aut empte, committantur aliis excolende, a quibus decime persolvantur
 20 ecclesiis, dictus predecessor noster statutum hujusmodi ratum habens et gratum decrevit², ut dicti fratres de alienis terris et ab eo tempore acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus excolant, decimas persolvant ecclesiis, quibus ratione prediorum antea solvebantur, nisi cum eisdem ecclesiis aliter ducerent componendum. quod et ad alios regulares, qui similibus gaudent privilegiis, extendi
 25 voluit et mandavit, ut ecclesiarum prelati promptiores et efficaciores existerent ad exhibendum ipsis de suis malefactoribus justitie complementum eorumque privilegia diligentius et perfectius observarent. sed, quod dolentes referimus, in contrarium res est versa, quia, sicut ex gravi querela dilectarum in Christo filiarum . . . priorisse et sororum monasterii sancti Marci ordinis sancti Augustini Argentinensis diocesis
 30 frequenter audivimus, nonnulli ecclesiarum prelati et alii clerici, earum privilegia

¹ Vergl. Silbermann *Localgesch. d. Stadt Straßb. S. 206 u. Straßb. Gassen- u. Häusernamen im Mittelalter S. 47.*

² Eine darauf bezügliche Bulle Pabst Innocenz III fand ich nicht, wohl aber ein mit dem Obigen fast ganz gleichlautendes Decret Honorius III, 1224 November 9 Rom im Lateran. Cfr. *Pothast Reg. pontif. nr. 7313.*

temere contempnentis et contententes malitiose ipsorum pervertere intellectum, easdem multipliciter inquietant. nam, cum sit ipsis indultum, ut de novalibus, que propriis sumptibus excolunt, sive de ortis, virgultis et piscationibus suis vel de suorum animalium nutrimentis nullus ab eis decimas exigere vel extorquere presumat, quidam perverso intellectu conficto dicentes, quod hec non possunt nec debent intelligi nisi de hiis, que sunt ante generale concilium acquisita, ipsas super hiis multiplici vexatione fatigant. nos igitur earum quieti paterna volentes sollicitudine providere universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictas sorores a prestatione decimarum tam de possessionibus habitis ante concilium memoratum quam de novalibus sive ante sive post idem concilium acquisitis, que propriis sumptibus excolunt, de quibus novalibus aliquis hactenus non percepit, sive de ortis, virgultis et piscationibus suis vel de suorum animalium nutrimentis singuli vestrum omnino servetis immunes, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. datum Lugduni 2 nonas aprilis, pontificatus nostri anno octavo¹.

H aus Straßb. Hosp. A. lad. 89 fasc. 12 or. mb. c. bulla pend. delapsa. Auf der Rückseite fa solla, wie es scheint, von andrer Hand.

350. *Der Cardinallegat Hugo fordert unter Verheißung von Ablass alle Gläubigen auf, den Bau des St. Johannesklosters in Straßburg durch Almosen zu fördern. 1251 Juni 20 Straßburg.*

Universis Christi fidelibus per Alemanniam constitutis frater Hugo miseratione divina tituli sancte Sabine presbiter cardinalis apostolice sedis legatus salutem in domino sempiternam. quoniam, ut ait apostolus, omnes stabimus [weiter wie in nr. 221 bis vitam eternam]. cum igitur, sicut dilecte in Christo . . . priorissa et conventus sororum ecclesie sancti Johannis in Argentina ordinis fratrum predicatorum nobis exponere curaverunt, eedem ecclesiam et claustrum cum officinis suis usibus oportunitis edificare ceperint² et ad edificationem hujusmodi ac sustentationem ipsarum proprie sibi non suppetant facultates, universitatem vestram monemus, rogamus et exhortamur in domino in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis a deo collatis pias eis elemosinas et grata caritatis subsidia erogetis, ut per subventionem vestram opus inceptum consumari valeat et alias earum indigentie provideri ac vos per hec et alia bona, que domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia pervenire. nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus aucto-

¹ Zwei völlig damit gleichlautende Bullen stellt Innocenz IV am 5. und 8. April desselben Jahrs ebenfalls zu Lyon für das St. Katherinen- und das St. Johanneskloster zu Straßburg aus. Straßb. Hosp. A. lad. 125 fasc. 7 und lad. 90 fasc. 13 or. mb. c. bullis pend. mit denselben Dorsualvermerken wie nr. 349.

² Königshofen berichtet: do men zalte noch gotz gebürte 1252 jor, do wart das closter zü sant Johans zü den hunden in Crutenouwe gestiftet und gemaht. (D. St-Chron. IX, 740.)

ritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui eis ad id manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies de injuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. datum Argentine 12 kalendas julii, pontificatus domini Innocentii pape quarti anno octavo.

5 *H aus Straßb. Hosp. A. lad. 90 fasc. 15 or. mb. c. sig. pend.*

351. *Der Cardinallegat Hugo gestattet den Straßburger Dominikanern, sich innerhalb der Stadt auf dem St. Bartholomäushof anzubauen und ihr alles Haus an der Stadtmauer zu veräußern. 1251 Juni 24 Straßburg.*

Frater Hugo miseratione divina tituli sancte Sabine presbiter cardinalis apostolice
10 sedis legatus dilectis in Christo . . . priori et conventui fratrum ordinis predicatorum
Argentinensi salutem in domino. supplicationibus vestris eo benignius exauditionis
gratiam prebere debemus, quo eas favore novimus digniores. cum igitur vos, sicut
oculata fide cognovimus, in antiqua domo vestra juxta muros civitatis Argentinensis
15 non possitis commode remanere, nos vestris justis postulationibus grato concurr-
rentes assensu construendi ecclesiam cum claustro et officinis vobis necessariis in
area vestra infra civitatem eandem, que curia sancti Bartholomei vulgariter nuncu-
patur¹, jure parochialis ecclesie ac privilegiis vestris nichilominus semper salvis,
neon vos ad locum ipsum transferendi ac antiquam domum cum fundo, in quo
20 sita existit, vendendi seu demoliendi aut aliter de ipsa, sicut expedire videritis,
disponendi licentiam vobis auctoritate presentium elargimur. nulli ergo omnino
hominum liceat, hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario
contraire. si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem dei omnipo-
tentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. actum
Argentine 8 kalendas julii, pontificatus domini Innocentii pape quarti anno nono.

25 *T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 2 or. mb. c. sig. pend. laeso.*

352. *Der Cardinallegat Hugo gestattet den Straßburger Dominikanern, um den Neubau ihres Klosters zu erleichtern, ihre alte Behausung an der Stadtmauer in irgendwie geeigneter Weise zu veräußern. 1251 Juli 17 Bingen.*

Frater Hugo miseratione divina tituli sancte Sabine presbiter cardinalis apostolice
30 sedis legatus religiosis viris . . . priori et fratribus ordinis fratrum predicatorum
Argentinensibus salutem et sinceram in domino caritatem. cum nuper, dum
Argentine essemus, vobis dederimus licentiam² construendi in area beati Bartholomei
apostoli Argentine ecclesiam et claustrum cum officinis vestris usibus oportunis et
ad edificationem predictorum proprie vobis non suppetant facultates, ut per hoc

35 ¹ Cfr. nr. 321 u. 324.

² Cfr. nr. 351.

opus hujusmodi facilius valeat consumari, auctoritate vobis presentium indulgemus, quatinus locum vestrum situm juxta muros Argentinenses cum edificiis omnibus vendere, permutare et alias de ipso disponere et ordinare possitis, prout vobis visum fuerit expedire. datum Pinguie 16 kalendas augusti, pontificatus domini Innocentii pape quarti anno nono.

T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 2 or. mb. e. sig. pend. laeso.

353. *Gunther von Landsberg verkauft auf Bitten seines Bruders Eberhard, der ihn dafür entschädigt, alle Güter seiner verstorbenen Gemahlin Belime dem Straßburger St. Agneskloster für 170 Mark Silber. 1251 Juli Straßburg.*

Universis et singulis presentis pagine inspectoribus et tenoris ejusdem audi-
toribus Guntherus miles dictus de Landesbere perpetuam in domino salutem cum
noticia subscriptorum. quoniam labilis est hominum memoria, oblivioni provide
ac prudenter occurritur, cum ea, que rationabiliter gesta sunt, ne simul cum
tempore labantur et a memoria hominum propter diuturnitatem temporis recedant, ad
posterorum noticiam litterarum testimonio transmittuntur. hinc est quod ego Gun-
therus predictus omnibus, quos nosse fuerit oportunum, tenore presentium cupio
constare, quod universa bona, que habui quondam existentia Belime uxoris mee
defuncte, sita in burchanne Argentinensi et in banis villarum scilicet Schiltenkein,
Bischovesheim et Adelharteshoven, spectantia in curiam suam sitam in villa Schil-
tenkein predicta, que civitati adjacet Argentinensi, videlicet circa centum et viginti
agros et modicum plus et in pratis octo agros et duas curias in dicta villa Schil-
tenkein sitas, quorum quidam sunt proprii, quidam hereditarii, qui hereditarii sunt
numero^a quadraginta quinque agri solventes annualim tam pro censu quam decimis
tredecim quartalia et dimidium annone mansurnalis et quinque solidos et septem
denarios et obolum monasterio sancti Stephani in Argentina et Rufe ecclesie extra
muros Argentinenses tredecim sextarios et dimidium siliginis, vendidi pro centum
septuaginta marcis argenti conventui sancte Agnetis extra muros Argentinenses ad
petitionem et instantiam Eberhardi fratris mei, qui mihi in reconpensationem et in
concambium dictorum bonorum meorum universa bona sua sita in banno Uffenheim
et bona, que simul habuimus in banno Ingemarsheim, et dimidiam curiam sitam in
civitate Argentinensi, que dicitur zu deme Mulboume, tradidit et donavit perpetuo
possidenda. cui conventui dicta bona resignavi et possessionem eorundem tradidi,
consensu et voluntate liberorum meorum Cünradi, Guntheri, Wernheri, Egelolfi,
Gerdradis et Belime et Eberhardi filii Lenfridi filii mei defuncti super jam dictis
plenius accedente, qui etiam omni juri et actioni super prefatis bonis ipsis competenti
et competitore penitus renuntiaverunt. quorum bonorum ego Guntherus et frater
meus predictus et heredes nostri constituimus nos guarandos. quod argentum
confiteor et protestor litteris presentibus mihi a prefato conventu esse totaliter
persolutum. ne autem super antedictis, quod absit, aliqua possit imposterum questio

^{a)} Dahinter ein zweites überflüssiges sunt mit blässerer Dinte nachgetragen.

vel ambiguitas suboriri inter me et liberos meos antedictos vel aliquem ex ipsis vel dictum Eberhardum nepotem meum ex una parte et predictum conventum ex altera, presens pagina est super eisdem confecta et conscripta et ad meam petitionem et instantiam predicti fratris mei reverendi patris ac domini H[einrici] episcopi, capituli
 5 majoris ecclesie, civitatis Argentinensis et meo communita, quam in testimonium et evidentiam omnium premissorum dicto duxi conventui conferendam. venditioni antedictae, que facta fuit in civitate Argentinensi, interfuerunt testes subscripti: Bonusvir de Hadestat, Crapho de Rubiaco, Stehelinus de Bischovesheim, Eberhardus de Landesberc, Peregrinus de Wangen, Anselmus de Mitelhus, Bertholdus de Wittersheim milites; Fridericus inter mercatores, Gotfridus filius Nicolai, Reinboldelinus,
 10 Johannes Vitulus, Heinricus de Ache et Gotfridus dictus Kornere cives Argentinenses et alii quam plures. nos H[einricus] dei gratia episcopus, capitulum majoris ecclesie et civitas Argentinensis confitemur et protestamur ad petitionem et instantiam prenominati Guntheri et Eberhardi fratrum de Landesberc imperpetuam omnium
 15 premissorum memoriam nostra sigilla litteris presentibus appendisse. actum anno domini 1251, mense julio.

B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 4819 or. mb. c. 3 sig. pend. Abgefallen das Siegel Gunthers von Landsberg.

354. *Der Cardinallegat Hugo befiehlt dem Probst von St. Thomas zu Straßburg, gewisse Geistlichen der Straßburger Diocese, welche den Erlaß und die Verkündigung einer Excommunicationssentenz gegen die Straßburger Dominikaner wegen des Baues einer hölzernen Capelle bewirkten, zur Verantwortung zu ziehen. 1251 August 7 [Rutesheim].*

Frater Hugo miseracione divina tituli sancte Sabine presbiter cardinalis apostolice sedis legatus . . dilecto filio preposito sancti Thome officiali Argentinensi salutem in domino. gravem dilectorum in Christo prioris et fratrum predicatorum Argentinensium querelam recepimus continentem, quod, licet auctoritate nostra in curia sancti Bartholomei Argentinensi se transtulissent¹ et nos in signum date eis licencie ibidem construendi capellam sine cujusquam prejudicio in eadem curia sub
 30 quodam tentorio missam sollempnem, nullo contradicente, conventu vocato ipsoque et populo presentibus, celebrassemus publice et predicta omnia possedissent et quasi possedissent pacifice et quiete in nostra presencia, scientibus episcopo, decano, clero et populo Argentinensi nec de ipsis nobis conquerentibus et demum eadem auctoritate et licencia, nobis absentibus, in eodem loco quandam edificassent capellam
 35 ligneam, C. tamen decanus et Ottho canonicus Haselanenses Argentinensis diocesis asserentes se conservatores indulgenciarum custodi ac quibusdam aliis plebanis Argentinensis civitatis a sede apostolica concessarum, qui in eosdem fratres nullam

¹ *Uebereinstimmend damit berichten Ellenhards Annalen zum Jahr 1251: intraverunt predicatorum ad locum, ubi nunc sunt, sub domino Heinricho de Stalecken. (Mon. Germ. SS. XVII, 102.)*

alias jurisdictionem ordinariam seu etiam delegatam dinoscuntur habere, occasione dicte capelle auctoritate nostra, que intervenerat, tacita, ad quam vel ex ea sequencia iudicio ipsorum, quantamcunque habuissent plenissimam, extendi minime potuisset, in eosdem de facto, cum de iure non possent, non minus presumptuose quam fatue excommunicationis sententiam etiam contra juris ordinem fulminarunt, quam non sine contemptu apostolice sedis, cuius vices plene gerimus, et nostro publicari fecerunt et faciunt in predicacionis crucis impedimentum et eorundem fratrum et ordinis sui confusionem non minimam, prejudicium et gravamen necnon scandalum plurimorum. ideoque discrecioni tue sub pena excommunicationis, quam exnunc ferre intendimus et quam, nisi obedieris, te incurrisse noveris, in virtute obediencie districte precipiendo mandamus, quatinus supradictos C. decanum et Otthonem canonicum, decanum majoris ecclesie, custodem sancti Petri, capellanum nostrum ac plebanum sancti Andree Argentinenses, qui sententiam et publicacionem predictam fieri procurasse dicuntur, infra triduum post recepcionem presencium peremptorie ex parte nostra cites, quod infra quindecim dies post monicionem tuam connumerandos per se vel responsales idoneos et ad omnia predicta et ipsa tangencia sufficienter instructos compareant coram nobis innocenciam suam, si poterunt, ostensuri ac pro meritis recepturi, parati etiam respondere eisdem fratribus, si et sicut exegerit ordo juris, indulgentia, que clero et populo, ne extra civitatem vel diocesim Argentinensem trahi possint, a sede apostolica concessa¹, sicut dicitur, constitucione de duabus dietis in concilio generali edita² vel aliqua alia non obstante. supradictis etiam districte ex parte nostra inhi-beas, ne, pendente lite coram nobis, de novo contra dictos fratres aliquid temere audeant attemptare. quod si fecerint, noverint se excommunicationis vinculo innodatos. quodsi forte predictorum decani et Otthonis et aliorum, quos citari mandamus, copiam habere non poteritis, in ipsorum ecclesias et domos, in quibus degunt, coram testibus ad hoc vocatis supradicta omnia legas et publiques diligenter. has etiam litteras in majori et aliis parrochialibus ecclesiis Argentinensis civitatis, ne quis ignoranciam causari valeat, per te vel per alium diligenter legi facias et exponi. diem autem et formam citacionis et processus tui nobis per litteras tuas formam istarum litterarum de verbo ad verbum continentes diligenter et fideliter sine more dispendio rescribere non postponas. datum Rütensheim³ 7 idus augusti, pontificatus domini Innocencii pape quarti anno nono.

T aus Straßb. Thom. A. Dominicains lad. 2 or. mb. c. sig. pend. laeso.

¹ Cfr. nr. 316.

² Canon 37 des 4ten Lateranconcils. Cfr. Richter Corp. jur. canonici II, 30.

³ Unter den heutigen Ortsnamen nähert sich der von Rutesheim bei Leonberg in Württemberg am meisten der urkundlichen Namensform. Oder ist es Rusheim bei Karlsruhe?

355. *Bischof Heinrich von Straßburg verheißt Allen, welche die Dreieinigkeitskirche zu Straßburg am Weihitag besuchen und mit Almosen bedenken werden, Ablaß. 1251 August.*

Heinricus miseratione divina Argentinensis episcopus universis Christi fidelibus,
 5 ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in domino sempiternam. quoniam,
 ut ait apostolus, omnes stabimus [weiter wie in nr. 221 bis vitam eternam]. cum
 igitur celestis janue pulsatori paratus promittatur janitor, nos officio freti dispen-
 sationis beneficii divini talentum nostre commissum cure studebimus in sudario non
 celare. universis enim sancte matris ecclesie filiis, de omnipotentis dei misericordia
 10 et sanctissime Marie virginis et auctoritate nostra confisi, in vera penitencia et pura
 confessione sollempnia dedicationis ecclesie sancte Trinitatis apud Argentinam
 tempore statuto devote querentibus et eciam de rebus suis pias ibidem deo
 elemosinas offerentibus centum dies de injuncta sibi penitencia perpetualiter
 relaxamus. datum anno dominice incarnationis 1251, mense augusto.

15 *B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 1360 or. mb. c. sig. pend. delapso.*

356. *Der Straßburger Schultheiß Walther ersetzt der Straßburger Kirche ein Lehen, das er veräußert, durch Güter, die jährlich 60 Solidi abwerfen. 1251 September 22.*

Universis presentem litteram inspicientibus Walterus scultetus Argentinensis
 20 salutem cum noticia subscriptorum. cum nos Walterus scultetus Argentinensis
 quedam bona in Cungishoven sita ab ecclesia Argentinensi teneremus in feodo et
 nos predicta bona de consensu capituli Argentinensis alienaverimus, feodum ipsum
 de bonis dictis ein ziegelschiure et de hortis sitis apud Canes dicte civitatis duximus
 reconpensandum, ne ecclesie predictae depereat in hoc quicquam. nos vero tam
 25 alienationem predictam quam reconpensationem factam a nobis de bonis solventibus
 annuatim sexaginta solidos Argentinenses ratam habemus et gratam. et ad hujus
 evidenciam pleniorum sigillum nostrum duximus presentibus appendendum. datum
 in die Mauricii, anno domini 1251.

B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 2713 or. mb. c. sig. pend. delapso¹.

30 ¹ *Ebenda befinden sich im Original drei mit nr. 356 fast ganz gleichlautende Urkunden. In der ersten mit demselben Datum wie nr. 356 gibt der Straßburger Marschall Eberhard zu der Maßregel seines Bruders Walther seine Zustimmung, in der zweiten, datirt 1251 September 30 (in crastino s. Michahelis) Arnoldus dictus Puer et G. uxor sua, in der dritten schließlich ebenfalls aus dem Jahr 1251 Bertoldus de Tiersperg canonicus Argentinensis als Vormund der jüngern Brüder Walthers, Rudolf, Wilhelm und Walther.*